

EIVSDEM. *Luneburgi. 1687. d. 14. Novemb.* Etsi, post novissimas meas, aliquot iam ad Vos abierunt, quibus hasce committere potuissem literas; excusabis tamen pauculos dies, quod, cum MOLINOSII exemplar ligatum simul transmittendum esset, a bibliopega in hunc demum diem reiectus sim. Paratum iam aliud Lipsiae fuerat, sed antequam reliquis non ligatis (ea enim ad manus Tuas pervenisse, non habeo dubitare) addere possem, praesenti Domino Seckendorffio illud offerendi subita nascebatur occasio. Adde, quod libello nondum *Propositiones*, (vt pote quarum tunc nondum facta erat copia) latinitate non ita multo post a me donatae, fuerint adiectae. Apparebit ex istis, tribui MOLINOSIO, quorum ipse contrarium in *Manuductione* tuetur; et quanquam ex aliis eius scriptis hausta videri possent, non crediderim tamen, tam profundi hominem ingenii sui ipsius adeo esse oblitum. Particulam aliquam textus hinc inde excerptam ab adversariis existimo, mente Auctoris minime indagata, nedum perspecta. Inde facile quoque arguere possumus, an reus peragendus sit dogmatum illorum absurdissimorum, quorum incutiunt quaedam horrorem, quaedam risum excutiunt. Quanquam non tam audax sim virium mearum aestimator, vt de toto doctrinae illius systemate iudicium ferre mihi sumam. Rei decisionem exercitatisimis Theologis deferendam esse, forte non immerito existimo. Dogmata enim ipsi partim cum Pontificiis, partim cum Theologis Mysticis, qui tamen & ipsi magnam partem sunt Papicolae, communia, partim ipsi propria. De illis igitur facile, de istis difficile, de his difficillimum est iudicare. Etsi enim varie hic in orthodoxiam impingere videatur, tamen, quia terminos plerumque in aliena significatione accipit, nunquam tutum est de eius sententia iudicium. Vidisse eum praecipuos quosdam religionis Pontificiae defectus, certo certius est. Et quis nescit, an Deus ex hac umbra in lucem ipsam Evangelii alios producere, & ex parvis his initiis ruinae cuidam insigni Papatus sternere viam velit?

EIVSDEM. *Hamburgi. d. 21. Nov. 1688.* Incidi in exemplar Plantinianum Bibliorum Graecorum & Hebraicorum (sine punctis)